



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Exemplum distinctionis. Cap. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

cum doceret populū, orandum esse, ita proposuit; cuiusvis boni caput esse orationem: eamq; & salutem nobis afferre, & vitam aeternam, nemo ignorat; hac tamen de re, pro viribus dicere necessarium est, quo id consequamur, ut, et qui in orationibus, cultuq; Dei, viuere sunt soliti; studium vehemētius, & maiorem assiduitatem, ea in re adhibeant; qui segnes ignauiq; vixerunt, & animam suerunt ab orationis ope deserui, tum præteriti temporis detrimentum intelligant, tum in reliquum vitæ tempus, ne committant, ut salute priuentur.

Exemplum diuisionis:

Cap. XIII.

SANCTVS Gregorius Nazianzenus, quem Demosthenem Christianum dixerimus, ostendens episcopalis muneris difficultatem, ita diuisione est usus: difficile est, eiusmodi orationem inuenire, quæ omnes conciliare, & scientiæ lumine collustrare possit; huius rei, ea causa est, quod cum in tribus his rebus periculum versetur, mente, sermone, atque auditu; vix aliter fieri potest, quin si minus ad omnia, ad horum vnum impingamus: aut enim mens, superno splendore minimè perfusa est; aut sermo languet; aut deniq; auris, quia nequaquam purgata est, doctrinam excipere nequit; quorum si vnum acciderit, non minus, quam si omnia concurrant, veritas claudicat necesse est.

Exemplum distinctionis.

Cap. XIII.

SANCTVS Ambrosius cum doceret, Christum sequendum, hanc distinctionem adhibuit: Si vulnus curare

care

vare desideras, medicus est: si febris astuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cibum quæris, alimentum est. Quæ ratione debeat proponere Ecclesiasticus orator, & qualis debeat esse propositio, dicemus paulò post: item de diuisione, & distinctione, quas non solum formas sententiarum, sed etiam instrumenta dispositionis esse, facile est animaduertere.

Quo modo Ecclesiasticus orator possit ad propositum rationem subijcere; & vnde deflexit oratio, redire.

Cap. XV.

SANCTVS Gregorius Nazianzenus in laudem Heronis, docens, cur Hero fuerit athleta minimè fictus, subiicit rationem: Hic est veritatis athleta minimè fictus, & trinitatis ad sanguinem vsque propugnator; atque eorum, qui ipsum, iniuriæ inferendæ causa, persequebantur, patiendi alacritate expugnator: nihil est enim, quod persecutoris vim perindè frangat, vt patiens alacritas & promptus animus. Sapè poterit vti hac forma Ecclesiasticus orator: Cupitis scire, quæ obrèm in varias calamitates incidatis, melioris spei filij decedant; qui supersunt, vos tristitia afficiant. varijs morbis affligamini, caritate annonæ, & alijs incõmodis exerceat, aut puniat potius vos Deus? quia eius mandata non custoditis, quia iniusti estis in vos, & in alios. Is, què paulò antè nominauimus, sanctus episcopus Gregorius Nazianzenus in Apologetico, cum officium sacerdotum exposuisset, in hominum reconciliatiõis & salute versari; salutis mysteria omnia, Christi-
M stique